



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Additio Ad Qvæstiones Selectas in 1. 2. S. Thom. olim
impressas**

Requesenius, Josephus M.

Romæ, 1675

Refelluntur argumenta Henrici deprompta ex auctoritatibus scripturæ ac
Patrum, præsertim Augustini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38791

qui punitur; & sic tanto est grauior pœna, quanto id quod subtrahitur, est magis proprium, & connaturale ei, cui subtrahitur, sicut magis diceremus puniri hominem, si auferretur ei patrimonium suum, quam si impediretur, ne perueniret ad regnum, quod ei non debetur, & hoc modo dicitur esse mitissima omnium pœnarum, sola carentia visionis diuinæ, quæ est quoddam bonum, omnino supernaturale.

Refelluntur argumenta Henrici de prompta ex auctoritatibus Scripturae, & Patrum, præsertim Augustini.

26. **O**bijcit primò ex Augustino lib. 3. operis imperfecti cap. 200. non est falsa Christi sententia Marc. vltimo, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, ergo puer, qui non credidit, nec baptizatus fuit, puniendus est cum damnatis. Respondeo ex eo loco oppositum euidenter inferri, tum quia Christus non

non soli carentiæ baptismi, sed in-
credulitati damnationem minatur,
dum ait, *qui verò non crediderit (non
verò qui non baptizatus fuerit) con-
demnabitur*, tum quia, postquam
Christus imposuit Apostolis præce-
ptum prædicandi Euangelium omni
creaturæ, subdit, *qui crediderit, &
baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò
non crediderit, condemnabitur*; quibus
verbis non damnat eos, qui quomo-
documque non credunt, sed qui præ-
dicationi fidem non præbent, idè-
que in ea vniuersali sententia non
comprehendit infantes, sed solos
adultos, qui vti tantummodo capa-
ces euangelicæ prædicationis, cui
resistunt non credendo, ita tantum-
modo damnandi propter labem in-
credulitatis, aliter damnaretur Puer,
quia respuit prædicationem, quam
audire, & cui credere non poterat.
Et ita exponendum esse hunc lo-
cum, definit Innocentius 3. c. maiores
de baptismo §. cæterum ex vi litteræ
his verbis, prædictæ auctoritates intel-
ligendæ sunt omnino de adultis, qui ha-
bent

bent multitudinem peccatorum, cum de paruulis non possint intelligi, qui peccato tantum originali tenentur. Similiter, & illa auctoritas est soluenda, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, cum non possint credere paruuli, sed adulti, eadem habet glossam. ibidem §. casus quidem heretici circa finem, huiusmodi auctoritates intelligendae sunt de adultis, quia de paruulis non possunt intelligi, qui peccato tantum originali grauatur: & eodem modo illa auctoritas, qui crediderit, & baptizatus fuerit, tota intelligitur de adultis, cum paruuli non possint credere, sed adulti.

27 Obijcit secundo dicto §. 5. & lib. I. Historiae Pelagianæ cap. 5. §. cum Augustinus hoc anno 413. arguit, inquam ex sermone 14. de verbis Domini. Christus Matth. 25. loquens de futuro sui aduentu ad iudicandum viuos, & mortuos, statuit vniuersaliter duas tantummodo partes, nempè dexteram, & sinistram, & existentibus in sinistra dicet, *Ite in ignem eternum, qui paratus*

tus est Diabolo, & Angelis eius; in
dextera vero, Percipite Regnum, quod
paratum est vobis ab origine Mundi,
tum sic, quicunque non est in dex-
tera, est in sinistra, vel è contra,
quia nullus aliis locus medius ibi
designatur, ergò paruuli non exi-
stentes in dextera, vbi est Regnum
Cœlorum, erunt in sinistra, vbi est
ignis æternus, & gehenna. Respon-
deo hoc testimonium solutione prius
allata penitus euanscere, præmise-
rat eo loco Christus Dominus o-
pera bona, & mala iudicandorum,
deinde ijs, qui opera misericordiae
in Pauperes, & Christum exercue-
runt, dicit, Venite benedicti, percipite
Regnum, alijs vero, qui ea non exer-
cuerant, Ite in ignem æternum; Iam
ex his verbis liquet sermonem esse
de solis adultis, in quos tantummo-
do potest cadere ante prolationem
sententiae, vel ea commendatio,
esuriui, & dedistis mihi manducare,
situi, & dedistis mihi bibere, nudus
eram, & cooperuistis me, vel exprobra-
tio; esuriui, ac situi, & non dedistis
mi-

mibi manducare, ac bibere, cum ergo
paruuli, nec commendari, nec vitu-
perari possint ob datum, vel nega-
tum cibum, & potum, proculdubio
sententia de poena, & præmio, quæ
refertur ad bona, vel mala opera,
præcedentia, non potest extendi ad
paruulos, sed ad solos adultos, in
quibus tantummodo poterant præ-
cedere bona, vel mala opera. Vnde
sic retorquo argumentum, eos so-
lummodo comprehendit Christus,
qui sunt arguendi, vel commendandi
propter bonas, vel malas actiones,
ergo paruulus, qui sub ea commen-
datione, vel reprehensione com-
prehendi non potest, neque com-
prehenditur in dextera, nec sinistra;
Præterea Christus reprobos sic res-
pondentes inducit; Domine quando
te vidimus esurientem, ac sifientem,
aut hospitem, aut nudum, aut infirmum,
aut in carcere, non ministramus tibi,
deinde eorum apertæ confessioni,
subdit sententiam damnationis; Ite
in ignem æternum, ergo paruulus, ut
est huius responsionis incapax, ita
&

& sententiæ damnationis in Inferno.

28 Eadem solutio adhibenda est dicto Christi Domini, quod affert Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 28. qui *mecum non est, aduersum me est*, eadem inquam, ita ut sensus sit, qui *mecum non est* ob actiones prauas, mihi, & Euangeliu aduersarius est, exploratum autem est Pueros dici non posse non esse cum Christo ob recessum ab illo per actualem auersionem peccatorum actualium, sed potius esse cum ipso per amorem, & cultum, vt infra dicam; ideoque filij rebellium non dicuntur esse, ac stare contra regem, si nil contra ipsum operentur, eique per actiones personales in omnibus obediunt; quia contrarietas desumitur ex actu personali, non vero ex actibus alienis, imo aliquando ita præmiantur ob seruitiam regi personaliter exhibita, vt recuperent titulo mercedis debitæ operi persona li, quidquid amiserant ob delictum parentis.

29 Obiicit tertio. De fide est.

q uod

De statu

44

quod Puer non baptizatus sit sub potestate, & captiuitate perpetua Diaboli, qui habet ius in illum, tanquam in proprium mancipium, ideoque dicitur inhabitare in illo per dominium, seu titulo dominij, ut luculenter explicat Ioannes Bacconus Carmelita in 2. dist. 39. quæst.

i. his verbis: *Demon inhabitat in peccatore, non sicut forma informans, neque ut in energumenis, neque per formam aliquam, quam creat in anima peccatrice, sicut Deus eam creat, sed habitat per dominium in peccante, seu iure dominij, & potestatis;* quam ob causam in baptismo, spiritus immundus sacerdotis insufflatione è dominio baptizati abigitur, his verbis: *Exi spiritus immunde, & da locum Spiritui Sancto;* ergò Pueri præter pœnam spiritualem damni, patiuntur pœnam corporalem captiuitatis, ac seruitutis sub Dæmone; hæc autem captiuitatis pœna, quæ est pœna sensus, in eo sita est, ut captiuus alligetur vinculis certo cuidam loco, & careat libertate videndi, exequendi,

fol. 2

di, gustandi , olfaciendi , & loquendi cum alijs , præter alias sex pœnas, quas enumerat S. Doctor lib. I. de Ciuit. Dei cap. II.

30 Respondeo pœnas, quas subeunt peccatores captiui sub captiuitate Diaboli, esse in duplice specie, alias vitæ præsentis , alias futuræ: illæ primæ sunt temporales , & corporales inflictæ à Dæmone tam adultis , quam Pueris , quamdiu viuunt ; secundæ verò sunt perpetuæ, ac propriæ status termini , includentes ultra spoliationem bonorum gratuitorum acerbissimos cruciatus mediante operatione ignis . Iamuerò pueri ob peccatum originale patiuntur duplicem effectum pœnalem , vnum quidem in hac vita , nempè subiacere pœnis, & morbis corporalibus, vti contigit illis duobus pueris, euangelicis , quorum vnu ab infancia vexatus fuit à spiritu immundo , alter verò tortus, ac sæpius in ignem proiectus ; alium verò post mortem in alia vita non totalem, & secundum omnes pœnalitates, quas includit, vti

pa-

patiuntur adulti, sed partiale, & inadæquatū, in quantum spoliantur capacitate perpetuo recuperandi bona supernaturalia, & gratuita citra torturam pœnarum sensibilium: cum enim hi pueri existentes in termino amant, & colunt Deum super omnia ex doctrina S. Thomæ, aliorumque Doctorum, ideo eximit illos Deus à potestate Diaboli circa pœnas sensibles proprias status termini adulorum, cum non sit diuinæ pietati, ac prouidentiæ consentaneum, ut finat actuales amatores, & cultores sui, facientes quidquid in Dei obsequium, & honorem valent, torqueri perpetuò pœnis sensibilibus, vnde merito Catherinus in opusc. de statu Paruulorum, ait, paruulos esse quidem nunc captiuos, sed non forcè perpetuò captiuos, & sub potestate perpetua diaboli, quia etiam pro illis electus erit foras in die nouissimo, ita ut nihil iuris habeat ulterius in illos, quemadmodum habebat in statu viæ, sed in solos damnatos. Hinc recte dicunt alij esse sub potesta-

state Diaboli , nil aliud significare ,
quam esse in peccato , quod dat Dia-
bolo ius ad eos , quo usque manent
in statu viæ , varijs afflictionum , &
calamitatum generibus vexandos ,
nec non ad eos tentandos , statim ac
perueniant ad usum rationis .

31 Obijcit quarto ex lib. I. ad
Bonif. cap. 22. Homo per peccatum
contraxit poenam duplicitis mortis ,
nimirum mortis primæ , quæ est se-
paratio animæ à corpore , & mor-
tis secundæ , quæ non est alia , quam
immissio in ignem æternum ex illo
Apoc. 20. *Qui non est inuentus in li-
bro vite scriptus , missus est in stagnum
ignis , & hæc est mors secunda , tum-
sic : qui non est scriptus in libro vi-
tæ , mittitur ex S. Ioanne in stagnum
ignis , qui est mors secunda , sed pue-
ri decedentes cum originali non
sunt scripti in libro vite , aliter es-
sent prædestinati , ergo mittuntur in
stagnum ignis , vt in eo comburan-
tur , & patiantur mortem secundam .
Resp. ab omnibus contrahi ob pec-
catum originale primam mortem .*

exclusuam immortalitatis , quod
erat donum gratuitum promissum
generi humano, si Adam non pec-
casset ; secundam verò mortem non
incurri ab his , qui personaliter non
peccarunt , vt clarissimè elicio ex lo-
co ab Aduersarijs citato, in quo post-
quam S. Ioannes præmiserat dupli-
cem resurrectionem debitam iustis ,
cui opponit duplicem mortem de-
bitam impijs , vt notat Cornelius à
Lapide ibidem cap. 20. versu 5. §.
hæc est resurrectio prima , inquiens ,
prima quidem resurrectio est Beatitudo
solius animæ , qua sola anima per mor-
tem transit in vitam , & Regnum cœ-
lestè ; secunda verò resurrectio est ple-
na beatitudo ; qua , anima cum corpore
in fine Mundi plene in eandem vitam
beatam resurget : similiter mors prima
reproborum , est damnatio solius animæ
mors verò secunda est damnatio ani-
mæ , & corporis unitorum , & refur-
gentium in Iudicio uniuersali , subdit
deinde Apostolus , se vidisse mortuos ,
necnon libros apertos , & iudicatos es-
se mortuos ex his , que scripta erant
in

in libris secundum opera ipsorum, & tandem concludit, qui non est inuen-tus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis, intellige de scri-ptione relatè non ad sola nomina, sed ad opera, quæ prius dixerat esse scripta in libris, & secundum quæ iu-dicandi erant mortui; iam per hæc verba, vti apertè loquitur de iudi-candis secundum opera bona, vel mala, quæ fecerunt, ita tam prima mors solius animæ, quam secunda mors animæ simul, & corporis, non cadit, nisi supra adultos, de quibus verificari solummodo potest, quod eorum facta bona, vel mala in libris descripta sint, nam Infantes nil bo-ni, vel mali gesserunt scribendum, in libris, vt clarè liquet, & suppo-nitur à Paulo, dum loquens de Esau, & Iacobo, ait, *antequam, quidquam boni, vel mali fecerint,* & ideo per mortem secundam rectè S. Fulgen-tius lib. i. ad Monimum cap. 6. expo-nit pœnam debitam animæ propter opera, quæ actualiter, & personali-ter gessit in carne, iuxta illud, reci-

C

pient

pient pro ijs, quæ unusquisque gessit in corpore, sic loquens, homo per peccatum incurrit duplē mortem, primam in separatione animæ, & corporis; secundam in æterna cruciatione animæ, & corporis, quando rediens in carnem anima, in eadem, & cum eadem, in qua peccauit carne, torquetur.

32 Hinc ex hoc Ioannis testimonio, Aduersarij sententiam refello, & meam confirmo: Ioannes nomine mortis, primæ, & secundæ intelligit pœnam sensus debitam animæ, prius separatæ, & postea unitæ cum corpore, aitque utramque pœnam inferendam ijs, quorum opera mala scripta sunt in libris, & vidi, inquit, mortuos, nec non libros apertos, & indicatos esse mortuos ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum: sed de pueris nihil est scriptum in libris, quia nil mali, vel boni gesserant, antequam decederent, ergo neutram mortem, hoc est, pœnam sensus debitam utriusque parti incurruunt; ideo autem spoliantur gratuitis, quia hæc erant

erant accepturi dependenter à sola
obedientia capitis, at non afficiun-
tur alijs pœnis, quia uti sunt exper-
tes malorum operum, ita & earum
pœnarum, quæ ob mala opera so-
lummodo incuruntur, vnde Corne-
lius citatus cap. 20. vers. 15. §. obijcies,
explicans quo pacto Paruuli non
sint mittendi in stagnum ignis, quam-
uis non scripti in libro vitæ, sic ha-
bet, S. Ioannes loquitur de solis adul-
tis, non de paruulis, ut patet, ex versu
12. Iudicati sunt mortui ex his, quæ
scripta erant in libris secundum ope-
ra sua, non paruuli, ut etiam patet ex
cap. sequenti versu 8. Timidis autem,
& incredulis, & execratis, & homi-
cidis, & fornicatoribus, & veneficis, &
Idololatris, & omnibus mēdaciis pars
illorum erit in stagno ardenti igne, &
sulphure, quod est mors secunda.

33 Sed instas S. Ioannes dicto
cap. 20. versu 12. ait, ibi esse iudican-
dos magnos, & pusillos, qui non sunt
alij, nisi infantes, ergo sententia
mortis cadit supra Infantes pariter
iudicandos cum adultis. Nego an-

-ot

C 2

te-

cedens, aio enim cum Cornelio ibidem s. & vidi mortuos, nomine pusillorum non intelligi. Infantes, sed vel paruos ætate, & statura, vti sunt pueri decem, vel quatuordecim annorum, vel potius personas viles, & abiectas, ita vt sensus sit, vidi in Iudicio æquè adstantes, nobiles, ac plebeios, tam dignitate pollentes, vti Principes, quam abiectos, ac viles, vti sunt serui, rustici, & ancillæ.

34 Obiectit quinto si pueri non torquentur in Inferno cum damnatis, nec beantur cum iustis in Regno Cœlorum, erunt in tertio quodam loco fælicitatis, sed hic non est assignabilis, cum duo tantum loca in Scriptura designentur, nempe Infernus, & Regnum Cœlorum, expressa per dexteram, & sinistram per Regnum, & gehennam, per resurrectionem vitæ, & Iudicij; unde Augustinus redarguit Pelagianos lib. 2. contra Iulianum cap. 113. quia duas distinguebat æternas fælicitates, unam, quæ sit in Regno Dei, alteram, quæ sit extra Regnum Dei, quam-
so-

solummodo concedebant Pueris de-
cedentibus sine baptismo. Respon-
deo illa duo loca designari a Christo
pro solis adultis, de quibus semper
sermonem instituit in textibus ad-
ductis ex Euangelio, vbi meminit
de eorum bonis, vel malis operibus,
pro quibus debetur gehenna, vel re-
gnum; sed ut clarius eluceat, quo-
modo nostra doctrina non cohæreat
cum dogmate Pelagianorum, hæc
breuiter subdo. Pelagius tria asser-
uit: primo Pueros nasci sine labe
originali; secundo eos nullam me-
reri poenam, nec indigere Baptismo
ad deletionem talis maculæ, quam
non contraxerant, sed ad obtainen-
dum ingressum in Regnum Cœlo-
rum, denegatum à Christo non ba-
ptizatis, iuxta illud Ioan. tertio. *Nisi*
quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu
Sancto, non introibit in Regnum
Cœlorum; tertio dari quemdam lo-
cum medium, in quo Pueri non ab-
luti aqua lustrali fruantur secunda
fælicitate, quæ sit inferior fælicita-
te Regni Cœlestis; fatebatur autem

Pelagius ex relatione Augustini lib.
de peccato originali cap. 21. se ne-
scire vbi nam esset talis locus his
verbis, *sine baptismo paruuli, quò non*
eant scio (scilicet nec in Infernum
nec in Regnum Cœlorum) *quò eant,*
nescio; iam verò Pontifices, Conci-
lia, & Patres damnant primo tan-
quam hæreticam propositionem,
quod Pueri nascantur sine originali,
secundo quod baptismus non sit in-
stitutus ad delendum originale, nec
eo indigeant paruuli ad eius dele-
tionem; tertio quod illis tanquam
iustis, & innocentibus nulla de-
beatur pœna, sed æterna fælicitas.
At nostra sententia toto Cœlo distat
à Pelagiana; primo quia agnoscit
pueros nasci infectos peccato primi
Parentis; secundo ait indigere ba-
ptismo necessitate medij ad eluen-
dam talem maculam; tertio carere
vita æterna, & fælicitate simpliciter,
quæ datur iustis, & innocentibus, &
puniri pœna damni.

35 Quod si dicas conuenire cum
Pelagio in hoc, quod detur tertius
lo.

locus distinctus à Regno Cœlorum,
& Inferno absque ullo fundamento
confictus: Respondeo non damna-
ri Pelagium præcisè , quia assigna-
bat tertium locum pro Paruulis , sed
ob admissam in ijs fælicitatem , tan-
quam debitam eorum innocentiae ,
& diuersam à cæteris iustis baptiza-
tis, perinde quasi sint institutæ à Deo
duæ fælicitates pro duplii Iusto-
rum genere , vnam pro iustis bapti-
zatis , quæ est in Regno Cœlorum ,
aliam pro iustis non baptizatis , quæ
est extra Regnum Cœlorum , cum
tamen cuicunque Iusto debeatur
ratione iustitiae idem Regnum Cœ-
lorum commune omnibus iustis .
Quod autem detur tertius locus pro
paruulis decedentibus absque baptis-
mo , in quo existant sine poena sen-
sus , nil habet commune cum Pela-
gio , nisi vocabulum tertij loci , quia
non significat sedem fælicitatis , quam
ponebant Pelagiani , debitam pue-
ris , tanquam iustis , sed fælicitatis
imperfectæ , ut infra dicam .

35 Cæterum petenti quodnam

C. 4 fun-

fundamentum inest deputandi par-
uulis non baptizatis hunc tertium
locum diuersum ab eo , quem assi-
gnabat Pelagius, dicam esse duplex;
vnum , quo certo credimus Pueros
decedentes cum originali non exi-
stere in Inferno, sed in Limbo , cum
Limbus , & Infernus habeantur ex
vniuersali Doctorum , & Ecclesiæ
sensu, tanquam duo loca distincta,
quemadmodum distinctus fuit Lim-
bus Sanctorum Patrum, ut docet San-
ctus Thomas in 4. dist. 45. quæst. 1.
art. 3. & in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 1.
quæst 2. in corp. ni velis dari duos In-
fernus , quorum nulla fit mentio in
Scripturis , ac Doctoribus , tam Ca-
tholicis , quam hæreticis , ergo sicut
nunc datur pro Pueris tertius locus
distinctus à loco adulorum ; ita post
diem Iudicij dabitur à Deo alias ter-
tius locus , in quo viuent fælicitate
aliqua imperfecta . Alterum fun-
damentum petitur ex eo, quod in In-
ferno non erunt nisi gemitus , blas-
phemiæ, mœror', confusio , & nullus
ordo , at Pueri viuunt bene , & ordi-
na-

nate, cum amore, gaudio, & cultu erga Deum, ut habet S. Thomas in 2.dist.33. quæst.2.art.2.ad 5. vbi ait, *pueros non baptizatos esse separatos à Deo quantum ad coniunctionem, quæ est per gloriam, non quantum ad coniunctionem naturalium bonorum,* & ideo de Deo gaudebunt naturali cognitione, & dilectione, & quæst.5. de malo art.3. ad 4. loquens in sententia eorum, qui negabant pueris cognitionem beatitudinis supernaturalis, *pueri sunt quidem perpetuo separati à Deo, quantum ad amissionem gloriae, quam non cognoscunt, non tamen quantum ad participationem naturalium bonorum, quæ cognoscunt.* Non ergo dum colunt, & amant Deum, manent in Inferno, vbi apud damnatos ne vestigium quidem cultus, & amoris Dei inuenitur.

37 Obijcit sextò inimico nulla debetur fælicitas, sed supplicium, at Pueri non baptizati sunt inimici Dei, iuxta illud Pauli, *omnes nascimur filij ire, ergo illis nulla est concedenda fælicitas, sed irrogandum.*

C 5 sup-

supplicium . Distinguo maiorem ,
inimico , qui contraxit inimicitiam
per peccatum personale , & vult li-
bere , & voluntarie in eo inimicitiae
statu perdurare , nulla debetur fæli-
citas, concedo ; inimico, qui contra-
xit inimicitiam per peccatum capi-
tis, nec vult , quantum est de se per-
seuerare in statu inimicitiae , sed actu
amat , & colit Deum , quantum po-
test , nulla debetur fælicitas , iterum
subdistinguo , fælicitas perfecta su-
pernaturalis propria amicorum, con-
cedo : nulla fælicitas , ne quidem
imperfecta intra ordinem naturæ ex
misericordia , & suaui prouidentia
Dei , qua illis confert auxilia ad eum
amandum , & colendum , nego . &
retorqueo argumentum : Paruuli a-
more , & cultu Deum prosequuntur
perfectissimis actibus charitatis , & re-
ligionis , ergo præcisè propter pec-
catum contractum voluntate alterius,
non sunt puniendi eo punitionis ge-
nere , quo puniuntur damnati Deum
blasphemantes , odio habentes , &
quantum est de se volentes eum
de-

destruere, si possent. Rursus Deus amat peccatores pœnitentes, ac laudat eorum pœnitentiam, ut certum est de Magdalena, & publicano, ergo multo magis amore prosequitur Infantes, qui non indigentes pœnitentia, Deum diligunt, ac supremo cultu venerantur. Ratio à priori; potest in Deo esse odium inimicitiae excludens solum amorem amicitiae, non vero amorem benevolentiae compoffibilem cum odio inimicitiae, vt patet in peccatoribus, quos odit, vt inimicos ob maculam non solum originalem, sed etiam actualem, & simul largitus quamplurima bona, ergo etiamsi Deus odio habeat Infantes ob peccatum originis, eosque spoliet in perpetuum bonis gratuitis, adhuc potest illis largiri bona inferioris ordinis intra ordinem naturæ, intuitu amoris, ac reuerentiae, quam in illum exercent. Cæterum vltro concedo Deum exercere cum pueris actus iustitiæ vindicatiæ puniens illos pœna damni, & priuatione donorum gratuitorum, quamuis

C 6 il-

illis parcat quoad alias pœnalitates ,
quia ipsum amant , timent , nec pec-
cato actuali inquinantur.

38 Obijcies septimo , peccata
Parentum puniuntur in filijs , vt ha-
bet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 81.
art. 2. ad 1. iuxta illud Exodi 20.
*Deus visitat iniquitatem Patrum in
filios in tertiam, & quartam generatio-
nem , ergo Pueri debent subire ma-
la , & pœnas ex demerito Adæ eo-
rum Parentis . Distinguo antece-
dens , puniuntur priuatione dono-
rum gratuitorum , transeat , puniun-
tur pœna sensus , nego , ratio dispa-
ritatis , pœna sensus debetur ijs , qui
male egerunt in corpore , eoque abu-
si sunt ad perpetrandum malum , non
verò ijs , qui corpore ad malum pa-
randum abusi non sunt , & ideo re-
cite Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Mo-
nimum cap. 6. ait , pœnam sensus de-
beri animæ , quæ male operata est in
corpore , quod pariter eidem animæ coo-
peratum est ad malum , indubitatum
autem est corpus nullum animæ
pueri exhibuisse influxum ad opus*

ma-

malum , cum antequam migrarent ē
vita, nullo poterant vti Instrumento
ad bene , vel male operandum . Sed
aliam clarissimam disparitatem ad-
dam seet. sequenti. Ratio à priori, filij
ob peccatum Parentum priuantur in
hac vita solis bonis fortunæ , ac fa-
mæ, non tamen afficiuntur morte ,
aut pœna sensus , ergo posteri ex
peccato primi Parentis priuantur
omnibus bonis supernaturalibus ab-
que pœna sensus , quæ pœna esset
incomparabiliter maior , quam pœ-
na verberum , vel mutilationis , &
ideo dictum illud Ezechielis , *Filius non portabit iniquitatem Patris*,
intelligendum est in ordine ad pœ-
nam sensus , ita vt nemo pœnam ,
quæ debita est peccato personali al-
terius , debet ipse sustinere , quamuis
subiaceat priuationi bonorum , quæ
à Patre aliunde erat accepturus, in-
quo sensu Exodi 20. dicitur , *Deus
visitare peccata parentum in filios*, vide
quæ de hac re docui 12. disp. 26. seet.
6. à n. 26.

39 Dices, quoties filius est par-
ti-

particeps culpæ Parentis , punitur eodem genere pœnæ , quo punitur Parens , ergo si Posterus est particeps culpæ Adæ debet eadem pœna sensus puniri . Distinguo consequens , puniri eodem genere pœnæ adequate , quo punitur Parens , nego , pœnæ inadæquatæ , nempe priuationis bonorum supernaturalium concedo . Ratio autem est , quia in primo casu , in qua culpa utriusque est personalis , sicuti utraque persona habet influxum proprium in culpam , ita & æqualem pœnam , at in casu nostro posterus peccans per meram voluntatem alienam , subit solam pœnam bonorum gratuitorum , quæ solummodo erant acquirenda per obedientiam capitis , ut benè aduertit S. Thom. in 2. dist. 33. quæst. 2. art. 1. in corpore , pœna , inquit , sensibilis pertinet ad id quod personæ proprium est , in eo vero , quod spectat ad naturam per originem , pertinet pœna priuationis bonorum gratuitorum , & ideo , sicut culpa originalis non contrahitur per operationem personalem posteri , sed

sc-

solius capit is , ita pœna huius culpa proportionata habetur per solam subtractionem donorum supernaturalium, quæ habuisset Adam, si non peccasset. Cæterum filius punitur in bonis corporalibus ob mera delicta Patris, non verò in bonis spiritualibus, quia in illis est aliquid Patris, in his verò gerit personam propriam , nec est alterius creaturæ, sed filius Dei dicens, filius non portabit iniquitatem Patris .

40 Obijcit octauo. Infantes sunt vasa contumeliæ , item sunt Paleæ , & stipulæ , ac palmites separati à vite, hæc autem traduntur igni ad comburendum , vt statuunt Patres Africani in epistola synodali cap. 13. relata ab Henrico cap. 3. §. 5. versu simile etiam adducto argumento , vbi ait, *vasa contumeliæ sunt, quibus dicitur, Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius . Respondeo has omnes locutiones sumptas esse ex Euangelio, eiusque parabolis , in quibus certum est Christum locutum esse de adultis, qui*

li-

libera voluntate separati sunt à vite,
& facti sunt paleæ, & stipulæ, non
de Pueris, qui carentes vsu rationis,
haud poterant per mala opera euadere
zizania, ac paleæ, quod sanè in-
nuit Christus Dominus in ea para-
bola præcipiens seruis, *finite crescere*
usque ad messem, hoc est, usque ad
vitæ finem, in quo ob eorum ope-
rations rectas, vel prauas dignosci
debent, num sint paleæ ejiciendæ
in ignem, vel frumentum congre-
gandum in horreum; vnde retorqueo
argumentum, Christus non dicit
statim ab initio ortus, in quo vnu-
quisque surgit cum peccato origina-
li, ut eradicentur ad comburendum,
sed postquam in adultam peruen-
tint ætatem, in quo proprijs deme-
ritis facti sunt paleæ, ergo projectio
in ignem imponitur adulto male
operanti, non vero paruulo, qui li-
cet natus sit in peccato, nihil tamen
per se ipsum mali gessit, aliter ab
ipso ortu erat in ignem projicien-
dus: dum igitur ille, qui apparuit in
natiuitate cum peccato primi Paren-
tis

tis cremari non debet , sed qui de se
factus est stipula , & palea , vtique
solus adultus , non puer , est combu-
rendus . Distinguo igitur primam
partem antecedentis , sunt paleæ , sti-
pulæ , ac zizania secundum quid , in
quantum reieoti sunt à Regno Cæ-
lorum , & ab aptitudine illud acqui-
rendi , nec non ab amicitia Dei , ac
spoliati donis gratuitis , concedo ,
simpliciter , & absolutè nego , simili-
ter distinguo secundam partem , sunt
palmites separati à vite per separa-
tionem ab illis liberè volitam per
peccatum personale nego , per sepa-
rationem non liberam in se , sed alien-
nam capit , iterum subdistinguо :
sunt separati quoad coniunctionem ,
quæ habetur per gratiam sanctifican-
tem , & gloriam , concedo , per amo-
rem , & cultum , quo Deum profe-
quuntur , & de eo gaudent median-
te naturali cognitione , & amore , vt
loquitur S.Thomas , nego .

41 Obijcit nono s. Redeo ad Afri-
canas synodos auctoritate Patrum ,
Pontificum , & Conciliorum positi-
ue

uè afferentium paruulos esse in finis
stra puniendos igne Inferni, nec exi-
stere in tertio quodam loco , in quo
fruantur beatitudine , vt habent San-
ctus Fulgentius lib. 1. de verit. præ-
dest. cap. 14. & lib. de Fide ad Pe-
trum Diaconum cap. 2. Item Patres
Bizaceni , & Conciliij Carthaginen-
sis celebrati anno 418. nec non In-
nocentius Papa , & Gelasius in Epi-
stola ad Episcopos missa per Pice-
num , ac Gregorius lib. 9. moralium
cap. 12. cum alijs Episcopis Gallis ,
& Hispanis , quorum loca affert
Henricus cap. 3. §. 5. à versu Scho-
lastici , qui in statuendis . Respon-
deo Concilia , ac Pontifices hæc
duo solummodo definire contra
Pelagium , nimirum , quod Paruu-
li migrantes absque Baptismo ,
non obtineant vitam æternam ,
nec fœlicitatem illis debitam tan-
quam iustis . Secundo Pueros na-
sci infectos labe primi Parentis , ad
quam expiandam requiritur Baptif-
mus , siquidem controuersia inter
Catholicos , & Pelagianos solummo-
do

dō extiterat de vtroque dogmate
cītato, & non de alijs, quamuis, vt
magis recederent à Pelagio dante,
Pueris fœlicitatem distinctam à Re-
gno Cælorum, quia expertes erant
peccati, recte dixerint, nullum dari
tertium locum distinctum, in quo
aliqua petfruantur fœlicitate, alii
qua, inquam, debita iustis, cum
pueri iusti non sint, vtpotè reti-
nentes maculam originalem; at dā-
ri, vel non dari alium locum di-
stinctum ab illis duobus cum ali-
quali fœlicitate naturali, non erat
punctum controuersiæ, ad quod
definiendum congregata est syno-
dus, nec de hoc vnquam interro-
gati sunt Pontifices, ideoque quid-
quid pro hac materia forte protule-
rint, non spectat ad definitionem
fidei, nec ad sensum communem
Ecclesiæ, sed ad peculiarem eorum
sententiam, & opinionem, vt liquet
multis alijs exemplis, in quibus Pon-
tifex, & concilium, dum loquuntur
extra materiam controuersiæ, non
intendunt aliquid definire, sed obiter

in-

innuere, quidquid sentiunt, tanquam
particulares Doctores.

42 Tria tamen pro huius rei ex-
plicatione vltierius addam ad excu-
sandum Veteres Patres, ac Docto-
res, qui contrarium vulgauerunt, &
primo quidem sic habet Lessius lib.
13. de Perfectionibus diuinis num.
145. quod aliqui veteres durius de
paruulis senserint, & maxime S. Ful-
gentius de Fide ad Petrum cap. 27. non
est mirum, quia res non erat adhuc
discussa, nec pæna debita peccato ori-
ginali satis cognita. Secundo sic lo-
quitur S. Thomas in 4. dist. 4. in ex-
positione textus, supplicium impropriè
nominat pænam damni, quam solum
pueri sustinebunt, & in 2. dist. 33.
quæst. 2. art. 1. & 2. & quæst. 5. de
malo art. 2. ad 1. exponens dicta
Sanctorum Patrum, nomen, inquit,
tormenti, supplicij, gehennæ, & crucia-
tus largè accipiendo pro pæna, qua-
tenus significat speciem pro genere;
ideo autem supplicij pænam absolute
statuebant in paruulis, ut excluderent
errorem Pelagi docentis nullam pa-
nam

nam dari paruulis non baptizatis, &
ad hoc fortasse respexit, Suarez tom.
2. in 3. par. disp. 57. sect. 6. §. nihilomi-
nus contraria sententia, cum de Au-
gustino dixit, quod excessit loquens de
pœna puerorum. Tertio non esse
magni faciendam auctoritatem Ad-
uersariorum, quia testimonia Scriptu-
ræ, ex quibus tortura puerorum col-
ligenda est, satis clare solis adultis
peccatoribus damnationem commi-
nantur ex locis supra relatis, & aper-
ta definitione Innocentij Tertij de-
cernentis pœnam originalis peccati,
esse parentiam visionis, actualis vero,
gehennæ perpetuæ cruciarum, &
ideo passim reperies in Patribus ob-
solum peccatum personale damnari
animas in Inferno iuxta illud Ber-
nardi serm. 3. de Resurect. sola pro-
pria voluntas ardet in Inferno.

Sed obijcies vltierius 10. pue-
ri habentes originale sunt filij iræ,
in quos Deus exercet suam iram, quæ
importat inflictionem pœnæ. Res-
pondeo iram Dei exercerii in Pueros
per exclusionem à Regno, & à per-

pe-

petua suæ faciei intuitione , qua ratione Rex punit aliquando subditum remouendo illum ab Aula , & à proprio aspectu , vt remouit Rex David Absalonem in pœnam fraticidij 2. Reg. 23. Veruntamen faciem meam non videbit , ideoque rectè Salmeron disp. 48. in cap. 5. ad Rom. inquit , iram Dei non esse plenam respectu peccati puerorum , quemadmodum respectu damnatorum , & §. iam dissoluendum , afferens illud Apostoli , quod peccatum primi Parentis sit in condemnationem , ait , ly condemnatio importat solummodo carentiam vitæ , & beatitudinis supernaturalis , nec non donorum gratiutorum adiuncta miseria peccati .

39. Obijcies i i. duæ tantum sententiæ sunt ferendæ in die Iudicij , quia duo tantum sunt ordines iudicandorum , nempe peccatorum , ac iustorum , ergo sicuti pro omnibus iustis fertur hæc sententia , Venite benedicti , ita pro omnibus non iustis , ac peccatoribus , in quorum numero sunt Pueri habentes originale , fertur hæc

hæc alia, Itc maledicti in ignem æternum. Respondeo Durandum in 2. dist. 33. quæst. 3. & Cartusianum in 4. dist. 47. quæst. 1. velle paruulos non ad futuros Iudicio vniuersali; sed puto futuros ibi præsentes, vt aiunt Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 57. seet. 6. & Merolla disp. 2. cap. 3. dub. 20. num. 38. qui postremus docet tres vniuersales sententias esse ferendas, quarum tertia erit contra maculatos solo originali, vt innuit Augustinus supra cit. lib. 3. de lib. arb. cap. 23. Sed probabilius existimo cum Vasquez 1. 2. disp. 134. cap. 3. num. 7. sententiam finalem contra reprobos non ferri ad Pueros, quamuis in finistra collocandos, quia duplex illa sententia, vt supra perpendi ad solos adultos infectos peccatis personalibus, vel ornatos sanctis operationibus referenda est, vt habet S. Thom. in 4. dist. 47. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3. Pueri ante perfectam ætatem decedentes in Iudicio comparebunt, non ut iudicentur, sed ut videant gloriam Iudicis. Quia iudicium for-

ma-

matur de operibus personalibus. Cæterum falsum puto in Scriptura non dari pro pueris non baptizatis sententiam distinctam à sententia adulorum, cum pro illis data sit à Christo, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in regnum Dei, in qua sententia includitur sententia pro pueris mortuis cum baptismo, scilicet, ingressus in regnum.

45 Instas tam pueri baptizati quam non baptizati carent operibus personalibus, ergo si pueri decedentes cum baptismo sunt in dextera, & comprehensi sub ea sententia, veniti benedicti percipite regnum, etiam pueri morientes sine baptismo sunt in sinistra, & comprehenduntur sub ea sententia, ite maledicti in ignem aeternum. Nego consequentiam, quo ad utramque partem; aio enim neutros comprehendi sub ea sententia, nec esse in dextera, vel sinistra in ea acceptione in qua sumitur à Christo Matth. 25. ubi ponuntur in dextera soli adulti, qui exercuerunt opera mi-

misericordiæ, in sinistra verò, qui ea non exercuerunt, vt pater ex verbis sententiæ, vbi regnum Cælorum datur per modum præmij, & coronæ debitæ meritis personalibus, ob idque est fructus virtutis, non merum donum liberale collatum, sine ullo merito accipientis, vt est in paruulis baptizatis.

46 Quod si nolis sumere dextram in sensu Scripturæ, sed in alio, nempe, pro eo, qui ab solum meritum capitis mediante baptismo est mundus à culpa primi parentis, sinistram verò, pro eo, qui est infectus culpa eiusdem parentis, aio paruulos non baptizatos fore in sinistra, hoc est solummodo exclusos à regno, ex Christi sententia Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in regnum Cælorum, baptizatos vero inclusos in eodem regno.* Quare distinguo consequens sunt in dextera, ac sinistra, sumptis iuxta acceptiōnem scripturæ, & significationem sententiæ decernentis possessionem regni tanquam præ-

D mium

mum , exclusionem vero tanquam
supplicium , intuitu meriti , vel de-
meriti personalis , nego : secundum
aliam acceptionem modo explicato ,
transeat . Similiter paruuli non sunt
paleæ , ac zizania in sensu euangelij
in quo solummodo continentur , qui
postquam creuerunt , inuenti sunt
tempore messis cum prauitate ope-
rum personalium , ac proinde exclu-
dendi ab horreo , & projiciendi in
ignem , licet in alio sensu sunt pa-
leæ , & zizania in radice , seu ratione
primæuæ , & seminalis infectionis
ab ea tractæ , & quia aruerunt in ip-
so exortu , non reponuntur in hor-
reo , quia non sunt triticum , sed non
projiciuntur in ignem , quia in ea prau-
itate non creuerunt , nec perseuera-
runt per proprium influxum .

4/ Obijcies 12. Christus passus
est poenam sensus pro expiando ori-
ginali , ergo originali debetur poena
sensus . Respondet Bellarm. lib. 6.
de stat. pecc. cap. 5. in fine , Christum
non subiisse poenam gehennæ , qua
nobis directe debebatur , sed aliam
quæ

quæ ratione infiniti valoris, ac meriti fuit plenissima satisfactio pro originali, & actualibus . fuit autem congrua pœna sensus, quia culpæ actuales, pro quibus satisfecit, pœnam sensibilem meruerunt . Sed clarius, ni fallor, aio Christum sustinuisse pœnam sensus, quia non poterat pro satisfactione pœnali sustinere pœnam damni, quia nunquam cessauit à clara Dei visione, vnde pœna sensibilis non fuit necessaria Christo, vt auferret nostras pœnas sensibiles, aliter debuisset pariter sustinere pœnam damni ad auferendam pœnam damni nobis debitam, sed vt modo sibi congruo, ac possibili satisfaceret pro culpa originali, & actuali. Et retorqueo argumentum, non valet sic arguere, Christus non est passus pœnam damni: ergo peccato non debetur pœna damni, ergo nec valet, passus est pœnam sensus, ergo originali debetur pœna sensus, sed satis est quod patiatur poenam, per quam congrue deleatur pœna nostris delictis inficta.

D 2 Obij-

48 Obijcies 13. Pueri sunt in loco poenali, ergo patiuntur poenam sensus, Do antecedens, & nego consequentiam, quia, ut dicantur esse ibi, tanquam in loco poenali, satis est si patientur poenam damni, non vero sensus, ut habet Sanctus Thomas in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. in c. his verbis, supra Infernum, qui est locus damnatorum, est locus, in quo sunt tenebræ propter carentiam diuinæ visionis, & gratiæ, sed non est pæna sensus, & ideo dicitur limbus puerorum. Cæterum ipsa incarcera-
tio, seu existentia in limbo, non est de se poenalis independenter à carentia visionis sublatæ per peccatum. Quod si dicas, ergo æquè poenali est limbus Sanctorum Patrum, ac puerorum, quia ambo sunt experti poenæ sensus, & æquè sustinent poenam damni. Nego consequentiam quia in Patribus erat spes acquirendi visionem Dei, qua carent pueri quibus ob originale sublata est spes acquirendi beatitudinem supernau- ralem, vel etiam naturalem propriam.

iu-

iustorum in statu puræ naturæ , & licet fuerit aliquo modo poenalis in Patribus dilatio visionis , quam summopere desiderabant, huius tamen parentiæ tristitia pertinet ad poenam damni , non sensus , vt rectè notat Caietanus in 3.par quæst.52. art.5. in comm. §. in responsione ad primum , vbi ait , Sancti Patres in limbo immunes à pœna sensus , sed adhuc stat dolor , seu afflictio ex spe dilata , quia huiusmodi dolor spectat ad pœnam damni , contra quam diuiditur pœna sensus , ita quod , cum negatur ab eis pœna sensus intelligitur de pœna sensus distincta contra pœnam damni , & per se concomitantia illam . Cæterum posse limbum patrum , & à fortiori puerorum dici aliquo modo poenalem concedit S.Thom.in 3.dif.22. quæst. 2.art. i quæst.1. ad 2. quia tota illa regio inferior erat , vel pro infectis aliqua culpa , vti sunt pueri , vel impediti à consecutione gloriae , ob non solutum pretium ante passionem , & mortem Redemptoris , vti erant Sancti Patres . Denique si quæ poena

D 3 est

est sensibilis cessabit post diē iudicij,
ut ait S. Th. q. 5. de mal. art. 2. ad 6. pœna
puerorū cum originali decedentium,
post iudicium consumabitur, in quan-
tum ipsi qui puniuntur. hac pœna, consu-
mati erunt per corporum resumptionem.

49 Obliges 14. Pueri dolent de
amissa beatitudine supernaturali, sed
hic dolor pertinet ad poenam sen-
sus, ergo puniuntur poena sensibili.
Resp. 1. data maior, negando mino-
rem, nam sicut carentia visionis, &
donorum spectat ad poenam damni,
ita & dolor de eorū amissione. Resp.
2. negando maiorem, ratio est; omnis
afflictio in operante secundum re-
ctam rationem oritur ex priuatione
rei aliquo modo debitæ, sed anima
separata existens cum solo originali
cognoscit gratiam supernaturalem
non fuisse sibi debitam ex principijs
naturæ, nec per actionem aliorum
a quibus poterat baptizari, præfer-
tim quando moritur homo in utero
matris, ergo non dolebit anima de
carentia infusionis gratiæ; vnde do-
lorem de amissa beatitudine negant
in

in pueris Becanus tom. 2. tract. 2. cap.
9. quæst. 1. Suarez, tom. 2. in 3. p. disp.
57. sec. 6. Vasquez 12. d. 134. cap. 3.
Mol. 1. p. q. 64. art. 3. disp. 2. & Salaz
tract. 13. disp. 11. sect. 6. cum S. Tho.
q. 5. de mal. art. 3. & in 2. d. 33. q. 2.
art. 2. in corp. vbi sic loquitur, est su-
perexcedentts gratiæ, ut aliquis sine
actu proprio præmietur, unde defectus
talis gratiæ non magis tristitiam causat
in pueris decedentibus sine baptismo,
quam in sapientibus, dum vident multas
gratias sibi non factas, quæ in alijs
similibus facta sunt, idè autem dam-
nati dolebunt de carentia visionis, &
animæ in Purgatorio de carentia maioc-
ris perfectionis, in quantum adfuit in
illis aptitudo ad utriusque assequitio-
nem per merita propria, utrumque au-
tem cessat in pueris decedentibus ante
vsum rationis, quo mediante poterant
per actus honestos ad utrumque bonum
assequendum se disponere, vnde sic con-
cludit ad 5. voluntas ordinata non est
nisi eorum, ad quæ quis aliquo modo
ordinatur, & voluntarie ab illius asse-
quitione deficiat, secus verò si deficiat

D 4 sine

sine voluntate, unde circa rem minime possibilem, (siue absolute, siue facta suppositione) non tam datur voluntas, quam velleitas, dum illam non vult simpliciter, sed vellet, si posset.

50 Dices si quis sine propria culpa exhæredetur, vel mutiletur, adhuc dolet de utriusque iactura, ergo licet puer priuetur beatitudine, ac dono iustitiae sine propria culpa, adhuc de illius priuatione dolebit. Nego paritatem, quia illi ineſt ius ad habendam hæreditatem, & integritatem membrorum, non vero huic, ut mediante actione alterius baptizetur, vel quod impediantur causæ naturales, ac liberæ, ex quarum cursu sequitur mors ante baptismum. Vrges ulterius, pueri extra utrum maternum existentes debebant baptizari ex præcepto Christi, ergo dolent de defectu baptismi, ad quem habebant ius, non ex merito proprio, sed ratione Præcepti de conferendo baptismo. Vasquez 1. 2. disp. 134. cap. 3. num. 12. existimat ad prouidentiam Dei spectare, ne pueri de amif-

amissa beatitudine ob carentiam baptismi, tristentur. Suarez verò disp. 56. sect 6. ait pueros ex conformitate ad voluntatem diuinam non tristari de amissione bonorum supernaturalium. Tandem Salas ait pueros, utpote prudentes non reflectere ad beatitudinem supernaturalem, cuius reflexio nullam potest illis afferre utilitatem, sed erunt contenti ijs bonis naturalibus, quibus pollut, ac sufficienter explentur. Mihi probabilior videtur prima, & secunda responsio, præsertim, quod cognoscent Deum, ita misericorditer disposuisse, ut impediret eorum damnationem, quam incurrisserint, si ad ætatem adultam peruenissent.

51 Sed quæres primò, an Pueri si tristarentur de amissione beatitudine, eorum tristitia esset aëtus deordinatus. Affirmatiuè respondet S. Thom. qui nullum agnoscens in pueris aëtum deordinatum, consequenter docet, carere tali tristitia, quæ dicit deordinationem, ut habet quæst. 5, de malo art. 3, in corp. quia non est abs-

D 5 que

que inordinatione voluntatis , quod aliquis doleat se non habere , quod nunquam potuit adipisci , sicuti inordinatum esset , si rusticus doloreret , quod non esset regnum adeptus ; ideo pueri , cum post mortem , sciant se nunquam potuisse gloriam cælestem adipisci , ex eius carensia non dolebunt . Verum etsi daretur tristitia in pueris , quia tamen non oriatur ex affectu elationis , & rei omnino indebitæ , sed ex cognitione non obtainendi rem , ad quam erant destinati , ideo nullam in ea agnosco deordinationem , & sane cum sancti Viri non deordinate tristati sint decepta sibi occasione Martyrij , quam alij habuere , quamvis ea occasio non fuerit illis debita , potiori iure possent pueri sine deordinatione dolere de non acquisita per baptismum beatitudine , ad quam eo mediante erant ordinati . Addunt alij eos dolere in limbo , de amissa beatitudine , sed cessaturum dolorem post diem iudicij , quando reassumptis corporibus cessabit detentio in carcere , sicuti cessauit dolor in patribus de dilatatione

ne

ne visionis per descensum Christi, vt
habet Caietanus 3. par. quæst. 52. art.
5. in comm.

52 Quæres secundo, si pueri mi-
grarentur cum solo originali, & ve-
niali subirent poenam sensus, quæ
esset æterna, non ratione venialis, sed
originalis, ergo originale meretur
poenam sensibilem æternam. Re-
pondeo primo casum reputari im-
possibilem à S. Thoma, qui ea facta
suppositione concedit poenam fore
æternam per accidens, non quidem
ratione originalis; sed durationis cul-
pæ venialis, & carentiæ gratiæ, quia
durante culpa, durat poena, quæ non
tollitur, nisi ablata culpa, vt habet
quæst. 5. de malo art. 2. ad 8. & q. 7.
ar. 10. ad 8. & in 2. d. 42. q. 1. art. 5.
ad 7. si per impossibile aliquis perue-
niens ad usum rationis, peccaret ve-
nialiter, & moreretur, puniretur pœna
æterna sensibili in inferno, sed hoc ac-
cidit veniali, in quantum est sine gratia.
Respondeo secundo sustinere tunc
pœnam sensus taxatam à iudice, sed
temporaneam, solummodo debitam

D 6 ve-

veniali, eaque finita, fore immunem
ab omni poena sensibili.

SECTIO II.

*An Pueri fruantur aliquali, & imper-
fecta beatitudine naturali.*

Negant Tannerus tom. 2. disp.
4. quæst. 10. dub 5. Valentia
1.2. disp. 6. quæst. 17. punct 4. Bellar-
minus lib. 6. de ammissione gratiæ
cap. 3. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 33.
quæst. 4. & 5. & alij, qui acriter in-
uehuntur contra oppositam senten-
tiam, damnantes illam, ut temera-
riam, erroneam, vel hæresi proxi-
mam. Alij è contra affirmant; ita
Ambrosius Catharinus in opusc. de
statu Puerorum decedentium sine ba-
ptismate, Riccardus in 2. dist. 23. art. 3.
quæst. 2. vbi docet eos habituros plu-
ra bona, & maius gaudium de eo-
rum possessione, quam habeant de
bonis creatis peccatores in hac vita.
Liranus perpendens ea verba Eccle-
siastes cap. 4. iudicauit utroque feli-
ciorem eum, qui nec dum natus est, sic

ha-